

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CLV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## CLV.

DIPLOMA RUDOLPHI I. IMPERATORIS PRO AB-  
BATIA TENNEBACENSI.

A N N O M C C L X X V I.

*Ex Tabulario Tennebacensi.*

**R**UDOLFUS - - Rex Romanorum - - cum inter religiosos viros - - Abbatem & Conventum de Thennebach Cisterc. Ordinis dilectos & devotos nostros] ex una, & fideles nostros fratres de Keppenbach ex parte altera super quibusdam aquis, pascuis ac aliis moveretur longo tempore materia questionis & ejusdem questionis disceptatio in presentia plurimorum fuerit ventilata, tandem ad nostre celsitudinis audientiam extitit devoluta. Sed quia nos hujusmodi Discussioni & Decisioni intendere personaliter nequibamus, nobili viro *H. Margravio de Hachperg* & - - - Sculteto de Brisfach dilectis fidelibus nostris, in hac parte vices nostras duximus committendas. Postmodum verò cum predictus Marchio memorate questionis intendere non valeret, predicti - - - Abbas & Conventus de Tennibach & dicti fratres de Keppenbach concorditer & uniformiter in predictum Scultetum de Brisfach compromiserunt, eligentes ipsum nomine arbitri in predictis, promittentes fideliter ex utraque parte suo stare arbitrio in hac parte. Idem verò Scultetus inquirens apud prudentes viros ydoneos, nec non fide dignos super predictis omnibus diligentius veritatem, tandem memora-

tas partes secundum formam quarundam litterarum patentium concordavit : Nos verò qui bonum pacis diligimus, & ex regalis equitatis iustitia affectare debemus, predictum arbitrium & Complanationem Discordie secundum quod in patentibus Litteris continetur ratam & gratam habentes presentis scripti patrocinio communimus apponentes nostre majestatis Sigillum - - - Datum Hagenowe XIIJ. Kal. Maij. Indict. IIIJ. anno Domini M.CC.LXXVI. regni verò nostri anno tertio.

## CLVI.

MARCHIO HEINRICUS II. DE HACHBERG CAPITULO MAJORI CONSTANTIENSI ABBATIAM TENNEBACENSEM COMMENDAT.

A N N O M C C L X X V I.

*Ex Tabulario Tennebacensi.*

Venerabilibus in Christo Dominis Preposito-Decano ceterisque Constant. Ecclesie Canonicis HEINRICUS *Marchio de Haberg* cum omni reverentia & obsequio paratam ad quolibet beneplacita voluntatem. Quoniam Dominus ac pater noster bone memorie *Heinricus Marchio* religiosus in Christo viris Abbati & Conventui de Thennibach ordinis Cyster. pro remedio anime sue ac omnium progenitorum suorum curiam suam sitam in villa *Muosbach* cum omnibus ejusdem curie appendiciis & specialiter